



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXXIII. Per quos actus, & quibus in materiis exerceri debeat plenissima hæc nostræ voluntatis cum divina consensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT XXXIII.

Per quos actus, & quibus in materiis exerceri debeat plenissima hæc nostræ voluntatis cum divina consensio.

**S**uperest jam, ut perspectis rationibus nostræ voluntatis penitus conformandæ ad divinam, proprios itè recensamus actus, qui prædictæ conformationis praxim constituunt. Primus, omnino necessarius, & quasi fundamentalis est, ut firmissimè persuasum, altèque menti impressum unusquisque habeat, quidquid in hac rerum universitate evenit, (si peccatum tantummodo excipias) DEO authore evenire, quæcunque demum sit peculiaris causa, ex cujus effectrice vi profluit, & quomodocunque ad illius productionem creatæ voluntatis actus, seu boni, seu indifferentes, seu etiam perversi concurrant: totumque id à supremo Domino ante mundi creationem ab æterno singillatim prævisum, ac volitum esse: nec volitum ægre, aut viulius necessitatis, quasi prohibere illius existentiam nequiret; sed omnimoda cum libertate,

& quamvis mille haberet præ manibus modos efficiendi, ut locò eventuræ cujuslibet rei alia omnia contingerent.

2. Quod ut clariùs pateat, statuenda hic sunt quædam certissimæ veritatis principia. Et primò quidem, mundi universitatem potuisse à sapientissimo, & omnipotenti suo artifice innumeris modis fieri longissimè ab hoc differentibus, quo illam creavit: vel quod individuorum in ea existentium locò diversa alia existerent; vel quòd nunc existentia aliter disposita, & conferta inter se essent; vel quòd diversæ à præsentibus qualitates, propensiones, & habitudines cujusque individui forent. Poterat exempli gratiâ DEUS ità mundum constituere, ut ego (dè que alio quovis homine idem cogites) locò nascendi, quando, & ubi natus sum, in alia quacunque ex tam multis ævi totius tempestatibus, terrarumque orbis partibus nascerer: locò harum corporis qualitatum, & affectionum, quæ mihi obtigerunt, quascunque alias fortiter: locò personarum, quibuscum vixi, inter alios vitam agerem, naturâ, institutis, moribusque, & religione prorsus dissimiles: locò denique eventuum, qui in singulas vitæ horas mihi acciderunt, alios longè ab iis discrepantes, pro diversa rerum conditione experirer.

3. Se-

3. Secundò: DEUM, quando mundi creationem decrevit, summa cum perspicuitate, & distinctione singulos quosque ex innumeris iis, ac diversis modis vidisse, quibus uti in condendo illo poterat, intèrque alios hunc quoque, ad cuius normam re ipsa illum condidit: secundùm quem scilicet non alia in eo existerent, quàm præsentis mundi individua, neque ex his ullum à se ipso, quale nunc est, sive in respectu ad cætera omnia, sive in naturæ dotibus, sive in adversis, & prosperis casibus, seu in quavis re alia differret: omnes, inquam, hujusmodi mundorum dissimilium formas ante artificis supremi oculos tunc distinctè explicatas fuisse: &, quamvis æquè promptum, liberùmque illi foret, quacunque ex iis uti, cæteris tamen omnibus repudiatis, hanc unam, quæ in præsentis rerum universitate cernitur, eligendam putasse: formam nimirum, juxta cuius seriem (ut in superiori exemplo hæreamus) non alibi, aut alio tempore ego in lucem prodirem, quàm ubi, & quo tempore prodii: non aliam corporis indolem, speciémque, & constitutionem fortirer, quàm quæ nascenti obvenit: nec aliis vitæ meæ cursus contexeretur casibus, quàm quibus in præsentis contextus est.

4. Tertiò : non minùs spontaneo , distinctoque , & expresso actu volitum id temporis à DEO esse quodvis peculiare individuum , & quidquid eventurum ei erat , quàm totam creandæ rerum universitatis seriem. Atque ità plenissimè advertens ultro elegit , ac voluit , decrevitque , ut ego tantum , nec amplius nobilitatis , famæ , opum , valetudinis , virium , eloquentiæ , atque ingenii obtinerem : ut meæ molitiones , vota , & consilia non meliorem sortirentur exitum , quàm qui hætenus iis respondit , & respondebit deinceps : ut hoc , atque illo vitæ meæ tempore certis quibusdam infortuniis conflictarer : putà iter agens ex equo deciderem , publico actu quopiam minùs prospere , & honorificè fungerer , jamque morbo laborarem , jam mercium , pecuniæve jacturam facerem. Voluit , inquam , æternóque consilio sancivit , ut talis omnino esset totius vitæ meæ series ; quamvis plenissima ei adesset libertas , aliam mihi assignandi meæ magis voluntati consentaneam , affluentem nimirum iis bonis , quæ nunc mihi desunt , eorúmque immunem malorum , quibus nunc premo. Unde manifesto colligitur , si hoc , aut alio boni genere careo , non aliam esse hujus inopiæ principem.

pem causam, nisi quòd ab eo mihi decreta tunc est: & si hæc, aut illa infortunia mihi accidunt, non aliunde id etiam provenire, nisi quòd ipsi tunc placuit, ut ea ego perferrem. Et ideò unicuique intrepidè possum, liberèque dicere ea Christi ad Romanum Præsidentem verba: (Joa. 19.) *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Nihil profectò improvisi, nihil temerarii, & fortuiti hìc est. Quidlibet ab infinitis retro sæculis distinctè animadversum, inque trutinæ ex adverso sui contrarii perpensum, & libera electione prælatum ei fuit. *Decernuntur ista, non accidunt.* (Senec. Ep. 96.)

5. Quartò denique statuendum præter supradicta principia est: licèt fieri prorsus nequeat, ut DEUS directè velit peccata, nullum ex his tamen patrari, nisi quia DEUS id permittit: utpote qui, quamvis plenissimam quævis peccata impediendi facultatem haberet; nihilominus ob nobis occultas rectissimæ, sapientissimæque voluntatis suæ causas minimè vult ea omnino impedire, sed potius, ut quàm plurima à creatis voluntatibus ex præpostero libertatis suæ usu patrentur. Ubi etiam adverto, dum negatur, peccata esse posse objectum voluntatis divinæ;

de illo id duntaxat pravo actu negari, in quo propriè, ac formaliter eorum malitia consistit, interiori nempe actu, quo voluntas libere in vetitum fertur. Nam, quod ad externa attinet mala, quæ nonnunquã ex peccato vel in authorem, vel in alios redundant; hæc non modò à DEO permittuntur, verùm etiam sæpenumero id sunt, cujus ille gratiã movetur ad ipsamet permittenda peccata. Hinc displicet ei quidem malignus adversarii mei erga me animus, quòdque is indè impellatur ad me dictis, & factis lædendum. At non itèm ei displicet meæ famæ, vel rei diminutio ex illius malignitate proveniens. Imò hanc vult, atque diligit; tanquam mihi utilem, ratione amplioris suæ gratiæ, atque gloriæ; cujus occasionem æquo illam animo excipienti supeditat. Idémque dicendum est de paupertate, de morbis, deque aliis hujusmodi ærumnis, in quas sæpe ipsimet fontes per improbitatem suam incidunt. Has siquidem, utpote haud necessariò, & naturã suã malas, sed ità indifferentes, ut majoris boni causa, vel occasio esse possint, DEUS directã voluntate amat, probátque. Neque objicias, complures ex hujus generis perpeffionibus nunquam posse à peccato disjungi, ùt exempli gratiã

Mar-

Martyrum cædes, à Christianæ fidei in eorum interfectores odio : nec proinde fieri posse, ut si DEUS averfatur peccatum, illas amet, ac velit. Respondeo enim, nihil novi, & absurdi in hoc esse, ut objectum quodpiam ametur, fimulque aliud necessariò ipsi conjunctum odio habeatur. Cùm quisquis virtutem Pœnitentiæ amat, nequeat non odisse peccatum : quanquam impossibile omnino fit, absque peccato illam propriè virtutem existere. Juxta quem modum fieri itèr potest, ut DEUS amet suorum neces fervorum; fimulque detestetur scelera, unde extiterunt : volens exempli gratiâ, ut lapides à Judæis jacti vulnerarent Protomartyrem Stephanū, neque ideo hunc eorum effectum impediens, sed de illo gaudens ob invicti Athletæ sui gloriam : quamvis cæteroqui eodem tempore impiam Judæorum in eo lapidando sævitiam odisset.

6. Constitutis itaque his principiis, quisquis voluntatem suam conformare ad divinam ubique, & in omnibus studet, necesse est imprimis, ut suprâ affirmavi, ut quàm firmissimè sibi persuadeat, nihil prorsus in mundo fieri, quòd supremus ille Moderator, & Dominus indè ab æterno non præviderit, &

Nun 5

vel



vel absolutè decernendum , vel saltèm permittendum putaverit : veritatem sanè certissimam , pluribusque sacrarum Literarum testimoniiis disertissimè comprobatam : ut illo Ecclesiastici , ( c. 11. ) *Bona , & mala , vita , & mors , paupertas , & honestas à DEO sunt : & illis Prophetæ Amos verbis , ( c. 3. ) Si erit malum in civitate , quod non fecerit Dominus : imò tam cuique obviam , & naturæ ipsius lumine manifestam , ut neque Homeri cæcitatem fugerit : quemadmodum perspicere est in proœmio ejus Iliadis , ubi facta damnorum mentione , quæ ex Achillis ira in cõmunem Græcorum rem promanaverant , principem , ultimamque eorum causam ad DEI providentiam refert , pulcherrimum illud epiphonema subjungens : *Jovis autem perficiebatur consilium.**

7. Postquam verò prædicta universalis veritas penitè infixam animo fuerit , curandum secundo est , ut eandem in particulari quovis eventu recognoscere , & observare assuescimus : neque si quid sinistri contigerit , tempus inutiliter conteramus , huic , vel illi hominum culpam rei attribuentes , & nobiscum mussantes : incuriam illius factum est , ut hoc damnum subirem : nisi illud obstitisset malignitas , consilium hoc è sententia mihi evenisset :

set :

set: inque alia ejusdem generis lamenta erumpentes, sed obtutu in DEUM unum defixo perinde quasi nemo, præter nos, & ipsum, in mundo esset, nec aliter, quàm si eum cerneremus, suâ tantummodo operâ, & citra cujusvis causæ alterius consortium, rem illam efficere; dicamus intrâ nos: DEUS, DEUS unus princeps hujus rei author, & causa est. Ipse ab omni retro æternitate suæ gloriæ, meæque utilitatis ergo illam voluit, delegitque. Si secus visum ipsi esset, nulla inferiorum causarum vis eam potuisset efficere. Quorsum igitur de incogitantia, vel malevolentia eorum queror, qui ad illius effectiorem operam suam contulerunt: quasi verò illi plus quàm instrumenta infortunii mei essent, nec supremus rerum arbiter justissimis de causis volens eorum ministerio in sua voluntate exequenda uteretur? Quid mea interest, quòd, cum posset statuere, ut sic vexarer à rebus sensu, & vita carentibus, maluit permittere, ut vexationis meæ causa esset hominum scelus? Hoc certè nullam vim habet reddendi seu graviozem physicè ærumnam, quæ à me toleratur, seu minùs beneficam voluntatem, qua decreta mihi à DEO est: cum neque secundum suam interiorem malitiam  
spe-

spectatum ulli queat, nisi suo auctori nocere; neque, si exterior illius efficientia attendatur, ullo pacto hæc impediatur, sed producat magis eos fructus, quos per illud mihi Deus destinavit. Quapropter, si facillimum mihi foret mercium in mari jacturam, seu impactum per fortuitum lapsum capiti vulnus, tanquam casus à divina providentia mihi missos accipere; cur idem minus facile experiar, quia illæ merces non naufragio, sed furto perierunt: nec improvida offensio, sed hostilis rabies illud vulnus inflixit? Nemo ægrotantium pensi habet, aut referre sua putat, quòd hirudo ad superflui sanguinis detractionem sibi à medico admota, suum illud ministerium non aliâ, nisi explendæ ingluviæ suæ causâ obit: gnarus nempe animalculi illius aviditatem nihil obesse, imò famulari veriùs medici proposito, & suæ sanitati. Quidni igitur ego quoque boni consulam, amica divinæ providentiæ circa me decreta ad effectum perducere, tametsi homines ejus administri non meæ, sed suæ tantum utilitatis studio exequantur? Si quid ab ipsis peccatur, displicere mihi quidem potest eorum culpa, at non etiam, qui ortus indè est effectus: cum hic à DEO potius auctore primario, quàm  
 ab

ab ipsis executoribus, & instrumentis proveniat; nec per interiorum eorum malitiam mutari, quantum ad me ex utili in noxium queat: sed talis sit, qualem DEUS paternam mihi voluntate sua destinavit, & qualis foret, si ab ipso sine ullius hominis vel creature alicujus causæ operâ fuisset productus. Tali, inquam, ratione in unoquoque nostro eventu philosophari debemus: nihil de via cogitando, per quam ille ad nos venit, sed de æterno duntaxat principio, unde est profectus: nullamque instrumentorum rationem habendo, quæ ad illius productionem sunt adhibita, sed totam considerationem in prima ejus causa, rectissima scilicet, amantissimâque, & providentissima Numinis voluntate figendo. Itâ sanè res est, inquit Augustinus: *Quamvis ille, (id est homo) iniquè fecerit, DEUS tamen iniquè hoc non permisit. Voluntas injusta damnetur: permissio justa glorificetur. (In Ps. 61.)*

8. Et talis profectò mos fuit, quo veri omnes DEI famuli in suis se ærumnis, casibusque adversis gessere. Exemplo fit Job, qui, licet à satana, & spoliatus fortunis suis omnibus, & *ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percussus fuerit*; utriusque tamen calam-

mi-

mitatis non alium cognovit authorem, quam DEUM: cum loquens de prima, nequaquam, ceu bene observatum à D. Augustino est, (*In Ps. 31.*) dixerit: *Dominus dedit, diabolus abstulit*, sed *Dominus dedit, Dominus abstulit*; & alterius mentionem faciens, pro eo ut diceret, se ab hoste percussum, veriùs, proprièque locuturum se putavit, si diceret, (*c. 19.*) *Manus Domini tetigit me.* Exemplo sanctus Rex David, cum à Semei conviciorum, & lapidum jactu impetitus, non aliter tamen petulantissimum nebulonem aspexit, quam ut divinæ voluntatis ministrum: huic se totum subjiciens, suosque, qui ultionem anhelabant, iis vocibus cohibens: (*L. 2. Reg. c. 16.*) *Dominus præcepit ei, ut malediceret David; & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? dimitte eum, ut maledicat, juxta præceptum Domini.* Exemplo Patriarcha Joseph, qui à fratribus mancipii instar alienigenis venditus, neque in eo ipso tam barbaræ immanitatis facinore benevola agnoscere prætermisit divinæ providentiæ consilia: post hæc demum impleta, sic eos alloquens: (*Genes c. 45. & 50.*) *Non vestro consilio, sed DEI voluntate huc missus sum. Num DEI possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed DEUS vertit illud in*  
bo-

*bonum.* Quem ritum referendi ad supremam  
 causam ea, quæ hominum operâ, ac ministe-  
 rio eveniunt, iidem quoque ipsius fratres ser-  
 vaverunt. Cùm enim redeuntes ab Ægypto  
 inter frumenta, quæ ibi emerant, pecuniam  
 pro iis persolutam reperissent; inopinatæ rei  
 spectaculo attoniti, quamvis ejus causam ven-  
 ditorum seu fraudi, seu liberalitati, seu erro-  
 ri attribuere possent; nihil tamen aliud dixe-  
 runt, nisi: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis*  
*Dominus?* (1b. c. 42.) Unde apparet, comu-  
 nem inter vetustissimæ illius ætatis homines  
 hanc sentiendi, & loquendi rationem fuisse.  
 Quid plura? Ullumne totius mundi ævo im-  
 manius extitit nefas, quàm mors ipsimet DEI  
 Filio conscita? Et tamen Apostolorum Prin-  
 ceps, de conspiratione differens, quam tanti  
 sceleris perpetrandi causâ Judæi, Ethnicique  
 inierant, utrorumque improbitatem Dei  
 administram in altissimo humanæ redemptio-  
 nis opere peragendo fuisse ait. (Act. 4.) *Con-*  
*venerunt verè, inquit, in civitate ista adversus*  
*sanctum puerum tuum Jesum, Herodes, & Ponti-*  
*us Pilatus cum gentibus, & populis Israël, facere,*  
*quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fie-*  
*ri.* Quamobrem assuescamus nos quoque,  
 in contrariis quibusque eventis spectare non  
 ope-

operam quidem, quam inferiores causæ pro sua parte illò conferunt, sed DEI tantummodo placitum, cujus instrumenta ipsæ sunt: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* (Ps. 148.) Namque hinc potissimum conformandi sese ad divinam voluntatem facilitas pendet, contraque ex hujus animadversionis neglectu nostræ ferè omnes iræ, querimonix, ac perturbationes existunt. Quarum uno ictu amputaretur radix, si quemadmodum S. Franciscus Borgia, (*Bart. in Vit. L. 3. c. 2.*) pluvix, & nivis tempore DEUM sibi repræsentabat, ludentis ritu iis se aquis respergentem, confertòsque illos floccos supra se jactitantem; ità & nos, quodcumque molesti aliquid, ingrati que accidit, imaginaremur à DEO ipso coram spectabili, tanquam à propria, unicàque causa id fieri: ab ipso exempli gratiâ cieri illum strepitum, unde noster somnus, & nostra inter studendum attentio præpeditur: ab ipso incitari illam muscam, ut importuno cum stridore circa nos volitet, jamque nostræ fronti, jam naso, jam genis infideat: ab ipso manum nostro capiti imprimi, dum hujus dolore, aut gravedine laboramus: ipsum esse, qui administris domesticis cogitationem, ac me-

memoriam hujus, vel illius rei ad nostros usus pertinentis subducatur: ipsum, qui calammum nobis obtundat, & atramentum conspisset, dum festinæ scriptiois necessitate urgemur: ipsum, qui quasi per amicum, & familiarem lusū gaudeat, candelam vix à nobis accensam sufflando extinguere, aut quod manu apprehendimus ex improvise in humum excutere: atque ita de aliis quibusque minutissimis casibus. *Sic cogita illum* (ait Trismegistus) *presentem semper, agentem omnia, voluntate sua cuncta constituentem.* (Pim. c. 4.) Neque id erit falsi quidpiam comminisci, nosque ultro deludere. Nam hujusmodi effectuum tam verè, proprièque author DEUS est, dum ordinariis, & naturalibus causis ad eorum productionem utitur, quàm si eosdem præter naturæ ordinem absque ullius creati instrumenti opera ipse solus produceret.

9. Sed enim, quæ hætenus commendavimus, præludia sunt potius, quàm formales, & proprii exercitationis quæsitæ actus: cum & blasphemi adversus DEUM homines huc perveniant, nec sinè hujusmodi persuasione illi succensere, & obloqui in suis calamitatibus possent. Ulteriùs itaque progredi ne-

O o o

ces-



cesse est: & postquam modo supradicto animadvertimus DEUM, uti quorumvis humanorum eventuum, sic & hujus, qui molestiâ in præsens nos afficit, principem causam esse; eum confestim excipere, non patienter solummodo, (nimis enim ibi consistendo deficeremus à perfectæ charitatis ingenio) verùm etiam, ceu præcipua inter superioris capituli rationes persuadet, omnimoda cum approbatione, nihilòque gestientes minùs, quàm si idem à nobis multò antea exoratus, nostraque sponte electus fuisset. Nam, si juxta veræ amicitix leges, idem cum DEO volumus, nostramque illius voluntatem fecimus, perinde omnino erit nobis DEUM velle, & decernere, ut aliquid fiat, ac ex nostra voluntate, & decreto illud fieri. *In omnibus, quæ adversa videntur, ac dura (profitetur de se Seneca) ità formatus sum: non pareo DEO, sed assentior. Ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi accidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu. (Ep. 96.)* Quapropter, cæteris quibusque considerationibus ab animo relegatis, nec nobiscum reputantes, cujusmodi suapte natura sit eventus, qui accidit, quantum scilicet nostræ rei familiari, nostris commodis, nostro honori, aliisque

ter-

terrenis rationibus adversetur, sed unum id  
 intuentes, quod volitus, missusque à DEO  
 sit; amplectamur illum cum plenissimo vo-  
 luntatis assensu, cumque iis festivæ approba-  
 tionis vocibus, quas Hipponensis olim po-  
 pulus reddidit, cum à D. Augustino suo Præ-  
 fule proponi publicè audisset, quem is, ceu  
 apprimè idoneum elegerat, ut sibi vitâ functo  
 in Pastoralis officio succederet: unanimi suff-  
 ragatione, & plausu acclamans decies ter, *Ju-  
 dicio tuo gratias agimus; quinquies, ac vicies,  
 fiat, fiat; vicies, octiesque, dignum est, justum  
 est.* (In Epist. 110. D. Aug.) Tali, inquam, &  
 nos animi sensu, quodocunque durior ali-  
 quis eventus acciderit, tanquam si DEUS ibi  
 præsens unicuique diceret: voluntatis meæ  
 est, ut tu pro mea gloria, & spirituali tua uti-  
 litate ærumnam hanc feras; acclamemus pro-  
 tinus, & pluries, ac pluries, quoad spiritus,  
 voxque suppetit, repetamus. *Ita Pater, quo-  
 niam sic fuit placitum ante te, iudicio tuo grati-  
 as agimus. Justum est, dignum est. Fiat mihi se-  
 cundùm verbum tuum. Paratum cor meum DEUS,  
 paratum cor meum. In capite libri scriptum est  
 de me, ut facerem voluntatem tuam: DEUS me-  
 us volui.* Proh quantum, mi Domine, de hoc  
 eventu gaudeo, quamque toto corde illum

complector, eòquòd, licèt moleſtum, nati-  
vòque meo ſenſui repugnantem, novi eſſe  
rem tuam, tibi placere, à te mitti. Nullis  
eum fortunis, nulla terrenæ fortis proſperi-  
tate commutatum vellem. Tantùm ab eo  
iniquiùs ferendo abſum, ut, ſi finè mea ope-  
ra nequiviſſet contingere, ultro hanc illi im-  
pendiſſem: & ſi tamdiu illum velis durare,  
quamdiu vita mea prorogabitur, jam nunc  
ipſum in omne tempus libens accipiam. Si  
priùs, quàm accideret, tuam de illo volunta-  
tem exploratam habuiſſem; tam ardentè tunc  
optaſſem venturum, quàm lætus nunc ample-  
ctor præſentem. Quin imò dici poſſum &  
antea, ſi minùs ſpecialiter, expreſſèque, at  
faltèm implicitè, & generatim illum optaſſe.  
Cùm enim antea nihil deſideraverim, niſi ut  
ſemper, & quomodocunque tua de me im-  
pleretur voluntas; objectum univerſalis illi-  
us deſiderii fuit, quidquid tu volebas, & con-  
ſequenter hic etiam peculiaris eventus. Qua-  
re, cùm jam pridem illum expetierim; fieri  
non poteſt, quin de illo præſente gaudeam,  
quin ei applaudam, quin chariſſimum habe-  
am. In ſumma, ſcio à te illum eſſe, nec un-  
quam non fuiſſe volitum. Idque unum ſat eſt,  
ut ego quoque illum velim, imò ut ſemper  
etiam voluerim. *DEUS meus volui.*

10. Talis igitur perfecta nostræ voluntatis cum divina consensio est, hique actus, per quos propriè exercetur: toties iterandi, quoties aut novi quid evenit nostræ humanæ voluntati contrarium; aut aliquis tristitiæ sensus de ordinario rerum nostrarum statu nos mordere incipit: adeò ut in singulis his occasionibus familiares illas plenissimæ approbationis formulas repetamus: bene est, nihil melius. *Ità Pater. Fiat, fiat: sicut Domino placuit: ità factum est: sit Nomen Domini benedictum.* Ad B. Catharinæ Genuensis exemplum, quæ, quandocunque, & in quovis rerum statu interrogaretur, quid vellet: nihil respondere aliud noverat, (*In Vit. c. 31.*) nisi, volo, quod nunc est. Et si de hac, vel illa particulari re singillatim percontatus fuisses, nihil ab ea diversi elicuisses responsi. Ubi addendum existimo, hanc rerum omnium, quæ accidunt, utpote à DEO decretarum, approbationem, non debere à nobis in animo duntaxat contineri, sed in quovis etiam cum aliis sermone exprimi: adeò ut de quotidianis vitæ eventis loquentes, nunquam excidere nobis patiamur voces quasdam minùs contenti animi indices; putà: ô tempus triste! ô pluviam importunam! ô anni cursum exlegem!

O o o 3 ut-

utpote voces nimium quàm abhorrentes ab homine, qui fatetur, omnia jubente DEO fieri: dignas proin, quæ severè corripiantur, prout dilecta cæteroqui DEI famula Maria Diazia ob similem loquendi modum correpta olim fuit: audiens nimirum, cum de nimia hyberni frigoris inclementia quæreretur, sibi reponi: *Ego hoc facio, & tu quæreris?* (*In Vit. Baltas. Alvar. c. 10.*) Cur enim nos quoque similiter objurgare ibi nequeat: Itane subjiciens, triste audes tu tempus vocare, quod mihi placet? importunam pluviam, cujus ego sum author? exlegem anni cursum, qui natu meo regitur? *Ego hoc facio, & tu quæreris?* Nè, quæso, unquam in verba adeò inconsulta, & nostræ professioni tam contraria erumpamus: sed in quavis molestarum nobis rerum supremi Domini voluntatem agnoscentes, dicamus cum Psalmista: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* (*Pf. 38.*)

II. Quamvis verò præipua sacræ hujus exercitationis materies videantur casus ii esse, qui nostræ voluntati repugnant; non tamen ad eam minùs pertinent ii etiam, qui suapte natura jucundi sunt, & delectationem homini afferunt: nec minùs, imò forsan magis difficili-

ficile est in his, quàm in illis divinam voluntatem amare. Aliud quippe est hilari animo casus excipere, unde nobis honor, seu commodum, seu utilitas provenit, quod dubitari minimè potest, quin cuilibet facillimum sit: & aliud eos hilari animo excipere, non quia naturaliter honorifici, commodi, & utiles sunt, sed quia merè DEO placiti, nihil in iis aliud, præter divinam voluntatem intuendo, & amando: quod tantò difficilior videtur, quàm in primi generis casibus, quantò majori propensione ad delectabilia, quàm tristia objecta intuenda animus fertur, quantòque enixiori conatu indiget, ut illorum, quàm ut horum sensu, & curâ se exuat. Atqui in lætis successibus omni eorum sensu, atque cura exuere se animus debet, si perfectè DEUM amat: ità ut nihil ibi attendat, & diligat, nisi puram putam DEI voluntatem, unicam nimirum rationem, sub qua sanctissimus illius amor exigit, ut confundamus peculiaris quorumvis eventuum discrimina: nequaquam distinguentes nativas eorum proprietates, secundum quas alii ab aliis prorsus diversi, nempe hi voluptuosi, & amabiles, illi contra tristes, dignique odio apparent, sed hoc in iis unum spectantes, quòd DEO placeant,

rectissimâque ab illius providentia immittantur: sub quo titulo, aspectûque omnes gemelli, omnes æquè jucundi, & amabiles sunt: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Exemplum esto Abrahamus, qui uti in rebus à Deo præscriptis nihil præter sanctissimæ illius voluntatis executionem spectabat; ita cum iustus esset unicum filium immolare, móxque ab ejus jam parato holocausto desistere; nihil discriminis inter præceptum, ac præceptum posuit: sed, quamvis hæc adeò diversa invicem forent, eâdem vultûs, animique æqualitate, & primum tam triste, & alterum tam delectabile excepit. *Abraham* ( verba sunt D. Zenonis ) *cum tanta lætitia obtulit arietem, cum quanta volebat & filium, nec est ejus facies mutata, cum esset victima commutata.* ( *Serm. 2. de Abr.* )

12. Neque solùm eandem habere cum divina voluntate debemus circa res, quæ jam acciderunt, vel in præsentî accidunt, seu prosperæ, seu adversæ illæ sint, sed etiam circa porrò eventuras: nulla nos præoccupari sinentes, quantum ad eas vel nimia cupiditate, vel sollicita, anxîaque formidine, sed parati ad excipiendum æquè hilari animo, quidquid acciderit. Cùm omni procul dubio

bio noverimus, nihil posse nobis contingere, nisi per voluntatem DEI, quam ipsum amando, nostram penitus fecimus: & consequenter, quàm impossibile est, ut quidquam contra ipsius, tam esse impossibile, ut quidquam contra nostrum placitum fiat: sed quidquid demum eveniat, id semper futurum, quod prædicta voluntatum unione posita, quia ipse ex omni æternitate voluit, nos quoque nunc volumus fieri. Et verò, quàm rationi congruens hoc animi. æquilibrium sit ad quoscunque divinæ voluntatis effectus indifferenter parati, sat scitè Epictetus demonstrat viatoris exemplo, qui medio in itinere ad bivium devenit. (*Arr. L. 2. c. 7.*) Nam, quemadmodum hic ex obvio sciscitatur: *quanam via sibi sit incedendum? eam, quæ ad dexteram est, non magis appetens hac, quàm ad levam dirigitur: utpote cum non velit alterutrâ istarum ingredi, sed eâ tantum, quàm possit pervenire ad destinatum locum; ita sanè conveniebat, nos quoque accedere ad DEUM: haud scilicet exoptando, ut hoc, vel illo, qui nobis arridet, tramite, sed ut eo potius, quem rectissimum ipse novit, nos ducat. Quanquam multò adhuc melius suis idem monstrârunt exemplis veri DEI servi, atque amici: quos fideles illius ministros fuisse D.*



Augustinus affirmat, quòd suam potiùs voluntatem divinæ, quàm divinam suæ aptare studuerint. (L. 10. Conf. c. 26.) *Fidelis minister tuus est, qui non magis incuetur, hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à te audierit.* Talis fuit Sacerdos Heli, post auditas à Samuele terribiles DEI contra domum suam minas, nihil aliud respondens, nisi: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* (L. 1. Reg. c. 3.) Talis David paratum se offerens, dum Absalonis vim fugeret ad excedendum regno, si illud ablatum sibi DEUS vellet. *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places, presto sum: faciat, quod bonum coram se est.* (L. 2. Reg. c. 15.) Talis heros fortissimus, Judas Machabæus, qui periculosum initurus certamen, suos hortabatur, ut, quod in ipsis erat, strenuè dimicarent, dimicationis verò exitum, seu prosper, seu contrà esset futurus, compositis in utramque sortem animis, DEI arbitrio permetterent: *Accingimini, & estote parati in manè, ut pugnetis adversus nationes has. Sicut autem fuerit voluntas in calo, sic fiat.* (L. 1. c. 3.) Talis magnus Monachorum Pater, D. Antonius: ideo contra quævis dæmonum terculamenta, & molimina im-

pa.

pavidus; quia, quàm certus nihil eos posse, nisi quòd DEUS permisisset; tam animi promptus, quidquid permiffum ab hoc effet, libenter subire. Unde erant animosæ illæ voces, quibus eos provocabat: *Si Dominus vobis potestatem in me dedit, ecce præsto sum, devorate concessum.* (Athanasius in Vita.)

13. Advertendum postremò est, nostræ hunc voluntatis cum divina consensum versari debere finè ullo discrimine, circa omnia, quæ in mundo eveniunt, & fiunt, nec peccatum formaliter sunt, quæcunque peculiaris illorum sit causa, & ad quascunque personas pertineant. Parùm ergo refert, unde nam illa existant: utrùm nempe à casu, ut offensiones, lapsus, errores; an ab elementis, ut venti, frigora, æstus, grandines, pluvix, alluviones, incendia; an à brutis animantibus, ut importuni canum latratus, morsus serpentum, vastationes locustarum, molestiæ muscarum, & culicum; an ab hominibus, ut damna, & incommoda, quæ eorum nobis vel inconsiderantia, vel improbitas affert. Parùm itèm, quodnam ex nostris lædant bonis: num scilicet fortunas, rémq; familiarem, ut lites, sterilitates, naufragia; an famam, ut improsperi actionum publicarum

suc-

successus, evulgatio nostrorum criminum, ignominia, objugationes, convicia; an corpus, ut naturalia ejus vitia, fames, sitis, lassitudo, morbi, dolores; an denique animum, ut ingenii tarditas, mentis confusio, dubia, sollicitudines, metus. Parum etiam, ad quos peculiariter spectent: ad nosne, an ad eos, qui conjuncti nobis sunt amicitiae, vel sanguinis nexu: & num uni, an paucis noceant; an communia sint provinciarum, & populorum mala, ut bella, terrae motus, contagio. Parum tandem, num temporariis duntaxat praesentis vitae utilitatibus, fructibusque obsint, qualia pleraque ex commemoratis haecenus sunt; an supernaturales, atque aeternas hominis rationes aliquo modo laedere videantur: veluti tentationes daemones, mentis inter orandum evagatio, crebri, & validi naturae instinctus ad malum, difficultas, & renisus animi in exercitiis virtutum, anxii conscientiae aestus, dotium ad juvandos proximos necessariorum penuria. Omnia id genus discrimina nullius momenti sunt apud hominem, qui nihil in rerum eventis praeter voluntatem Dei spectat. Quae idcirco neque nos pensi habere debemus: sed, ubi aliquid praedictorum occurrit, qualiacunque secundum materiam,

&

& nativam conditionem suam sint; ad DEUM protinus mentem reflectere, qui ab omni retro æternitate præ oculis illud habuerit, &, quamvis velle aliud contrarium posset, ipsum tamen justis de causis hoc elegerit, utque certo hoc tempore, & cum peculiari- bus hisce adjunctis eveniret, decreverit. Unde confestim sequatur, ut nos quoque illud velimus, probemusque, & contenti illo simus, ut explicatum supra est.

14. Sed, quoniam fortasse non deerunt, qui regulam hanc à nobis propositam, volendi tam universaliter, & sine ulla exceptione, quidquid DEO volente, ac jubente in mundo evenit, tanquam aliis Philosophiæ Christianæ principis minus consentaneam reprehendant; operæ pretium me futurum existimo, si ad conclusionem hujus materiæ contrariis eorum argumentis respondeam. Quod in sequenti capite, utpote prolixiori disputatione indigens, mihi faciendum sepono: præjactis hinc solummodo duobus nostræ illius regulæ fundamentis, quàm secundum se certis, & firmis, tam idoneis ad eam quoque talem reddendam, & ad diluendum, tanquam indirecto, & universali responso, quidquid speciatim, perque partes ei objici potest. Primum fundamentum esto id, quod sub capitis præ-

præcedentis initium cum Angelico Doctore statuimus: nimirum voluntatem divinam non rectissimam tantum esse in omnibus, quæ vult, verum etiam omnis rectæ voluntatis mensuram: adeo ut tanto quævis alia voluntas sit rectior, quanto ad eam conformatur exactius. Ex quo indubitato principio aperitissimè sequitur, non posse ullo modo contingere, ut nostra voluntas per consensionem cum divina fiat prava, rectior alioqui futura, si ab hac dissentiret: utque DEUS nobis præcipiat, suadeatve, aliquid se nolle, quod efficaciter velit. Hoc enim pacto nobis præciperet, suaderetve, ab universali, & primaria volendi norma discedere: quod summæ divinarum præceptionum, & suasionum sanctitati omnino adversatur. Alterum fundamentum sit alia ejusdem D. Thomæ doctrina: beatos nempe Cælites assensu plenissimo velle, quidquid DEO esse placitum videant. *Voluntas Beatorum, qui sunt in continua contemplatione divinæ bonitatis, & ex ea regulant omnes suas affectiones, conformatur divinæ voluntati in quolibet suo voluto. Omne enim quod sciunt DEUM velle, absolute volunt, & sine ullo motu in contrarium. (De Volunt. DEI art. 8.)* Unde colligitur, impossibile omnino esse, ut nos ope-  
tan-

rando ad exemplar rectissimorum illorum spirituum pravè operemur. Imò evidenter indè apparet, si plena omnium, quæ DEUS vult, approbatio, & voluntas singularis perfectio, nec aliud quàm perfectio in illis censetur, talem esse & in nobis censendam. Cùm nulla occurrat ratio diversa, vi cuius haberi hìc pro vitio possit, quod ibi assignatur virtuti.

## CAPUT XXXIV.

Diluuntur nonnulla argumenta adversùs omnigenam materiæ amplitudinem, in qua diximus nostræ voluntatis cum divina consensionem versari oportere.



Rdiamur ab eorum oppositione, quibus prædicta amplitudo displicet, eò quòd intrà suum orbem proximorum quoque ærumnas, & calamitates contineat. Circa quas se omnimodis conformare ad voluntatem divinam, perinde esse, ipsi dicunt, ac misericordiæ virtutem funditus è vita hominum tollere. Cùm enim proprium hujus sit, tristia